


Uniuersitas Melburniensis

Uiro Praeclaro *W. Peterson*

S.P.D.

Uniuersitati nostrae quinquaginta iam annis peractis postquam primis discipulis haud, ut opinamur, inuicta Minerua fores aperuit, ferias iubilaeas anno proximo celebrare, atque cum Uniuersitates nobilissimas tum etiam singulos uiros, praecipua scientiae cuiusque ornamenta, in partem comiter et impense uocare constituimus. Itaque te, uir illustrissime, cuius nomen per mare per terras passim uolitaui, quemque propter egregia ista erga doctrinam merita in primis nos reueremur, oramus ut beneuole hospitium nostrum per festos dies, quos in diem uicesimum quartum mensis Aprilis indiximus, accipere uelis. Scimus quidem quantum siue terrae siue Oceani dissociabilis spatium a plerisque orbis terrarum partibus nos separet; eo tamen maiorem tibi habentes gratiam animo magis dedito te accipiemus, si pro humanitate tua apud nos aliquot dies commorari uolueris.

Dabamus Melburnia die 1.<sup>mo</sup> Sext. MCMV.



Cancellarius.

